Nobilissimo viro
Constantino Hugenio, Dno Zulichemi,
Caspar Barlaeus S. P. D.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Nobilissime Hugeni,

Dum Tu ad leges Salicas regem salire dicis ingeniosissime, ego pergo ad leges Opicas et metricas salire. tamq[ue] inverecunda mea est saltatio, ut insiliam in Te, qui prior insilijsti in me. Nec enim deprecationem tuam, seram nimis, moror. Quam cuperem in hoc nostrum tripudium pertrahi senem Honerdum. Nam salva res est, ut habet vetus Proverbium, cum saltat senex. Versus tuos elegantissimos, quibus Filioli mei manes prosecutus es, fui exosculatus. Mitto Orationis meae exemplar. Titulus speciosus est & quantivis pretij. Crede et hoc ab arte esse, ut polliciamus emptorem simul & lectorem. Tu phaleras istas non curas. Nec scripsi Tibi haec, aut ijs, qui Epidaurijs serpentibus acutius vident. Satis fuerit, Ethica Aristotelis dogmata amoeniore phrasi expolisse.

Vale Vir Maxime, et si me amas, Wickefortium ama tui meiq[ue] amantissimum.

Amstelod. XI. Mart. CIↃIↃCXXXV.

Hug. 37.
(C. Barlaeus)

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 88
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1089

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 88
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1089

ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Constantino Hugenio.

Scirpus enodis.

I

Currere semideos, fugere est. Atalanta cucurrit,
Nec tamen hæc pavida sit rea virgo fugæ.
Currere semideos, fugere est. cum laude cucurrit
Hippomenes, timidæ nescius ipse fugæ.
Cursor erat Graios inter πόδας ὠκὺς Achilles.
Nec tamen huic vates exprobrat iste fugam.
Candide fallacem cur Constantine Sophistam
Induis, et veri ludis imaginibus?
Dum bene subsiliunt Druidæ, malè subsilit Haga.
Nam genere à toto transilit ad speciem.

II.

Hoc dixi, fateor: Rex et Regina cucurrit,
Nec tamen Augustos terret Apollo pedes.
Non me longa Ducum terrent vestigia. plus me
Terreat hoc: longas Regibus esse manus.

III

Cur pro me Reges supplex & sceptra precaris?
Barlaeo venia est nulla petenda tuo.
Hugeni, vis vera loquar? Tu Pelias hasta es.
Et Medicam confers vulneris autor opem.
Pro me verba facis; nunc in me verba retorques.
Me cupis esse reum: nec sinis esse reum.

C. B

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 88
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1089

Nobiliſsimo clariſsimoque
Viro D. Constantino
Hugenio Eq: Zulichemi
Dno,

Hagam

p amicissimum,

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 88
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1089